



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentariorvm, Ac Disputationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

Reverendissimo Et Illvstrissimo D. D. VVolfango, Mogvntinæ Ecclesiæ
Archiepiscopo, S. Romani Imperii Per Germaniam Archicancellario, Principi
Electori, Domino suo clementissimo, &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)



REVERENDISSIMO
ET ILLUSTRISSIMO D. D. VVOLF-
GANGO, MOGVNTINÆ ECCLESIAE ARCHI-
EPISCOPO, S. ROMANI IMPERII PER GERMA-
niam Archicancellario, Principi Electori, Domino suo
clementissimo, &c.



Uam nobilis, varia, multisq; implicita difficultatibus sic
Disputatio de sacrosanctis Christiana Religionis Sacra-
mentis, Reuerendiss. & illustriss. Princeps, nemini obscu-
rum esse potest, nisi ei, qui Scholasticam, ut vocant, hoc est
accuratam illam Theologicarum rerum tractationem,
in Catholicorum Academijs multis iam annis receptam,
& detritam, nunquam delibavit. Quare à multis eru-
diti-
tione virtuteq; prestantib. hominibus, saepenumero opta-
tum est, ut hoc seculo, quo à Sectarijs subtilis illa commen-
tandi ratio in summum adducta contemptum est, clarissimaq; de noua legis nostre
Sacramentis doctrina miseranda quadam nouarum opinionum atq; errorum ca-
ligine abyssem offusa, aliquis in hominum manus veniret, qui diuinis literis, S. Pa-
tribus, Concilijs, Summorum Pontificum sanctionib. Jureconsultis, Schola Docto-
ribus veteribus & nouis, controuersiarum etiam tractatoribus diligenter inspectis
& ponderatis, copiosissimo, clarissimoq; commentario ita persequeretur hanc de no-
ua legis Sacramentis disputationem, ut utriusq; & haeticis & Catholicis Lectori-
bus abunde satisfieri posset. Id vero non meo tantum, sed doctissimorum omnium,
quot quot mihi audire licuit, iudicio, nuper absolutissime prestitisse videtur è Socie-
tate IESV R. P. FRANCISCVS SVAREZ, in tertio Disputationum suarum, quae
in Tertiam Summae Theologicae B. THOMAE Aquinatis partem edidit, Tomo, quem
Reuerendiss. & illustriss. Princeps, nunc iam in lucem damus, in quo haud scio,
quid à quoquam desiderari possit, siue ingenij acumen, siue iudicij maturitatem, siue
rerum tractandarum copiam, siue dictionis perspicuitatem & elegantiam, quae in
rerum obscurissimarum tractatione imprimis laudatur, spectauerit. Nihil enim
tam abditum & reclusum in Theologia est, quod Theologus iste non in lucem profe-
rat: nihil tam arduum & inuolutum, quod non enodet: nihil tam humile & abie-
ctum, ad cuius explanationem non se dimittat. Quicquid de Sacramentorum na-
tura, vi, effectis, ritibus, sacrarum literarum monumentis continetur, quicquid
exstat in veterum Patrum commentarijs, in Synodorum Oecumenicarum vel
Mericarum decretis, in Romanorum antistitum rescriptis, quicquid à Scholasticis
Doctoribus, à luris utriusq; interpretibus, priscis aequae ac recentibus, quicquid de-
niq; à controuersiarum huius saeculi, atq; adeo profanis etiam Scriptoribus conueni-
enter huic materiae proditum est, id ille instar solertis & indefessae apiculae, in hos suos
) (2 commen-

commentarios, velut in aluearium, congescit. Atque ita se rem habere, nullo argumeto certius aequus Lector, quam experientia ipsa, deprehendet. Peruoluet, si placet, genus omnescriptorum, veteres aequae ac nouos percurrat quaestionum Theologicarum tractatores, bibliothecas omnes deuoret: ubi ad extremum polemica haec *Cyriacus Suárez* attigerit, facile statuet eum inter omnes familiam ducere, hoc est, tam multa noua cumulare veteribus; tam varia, ordine meliore, metodo clariore, tractatione uberiore et solidiore disceptare et euoluere, ut verissime à Demeca Terentiano, licet alia in re, alicubi dictum sit:

Nunquam ita quemquam bene subducta ratione ad vitam esse,
Quin res, aetas, usus, semper apporet aliquid noui,
Aliquid moneat: ut illa quae te scire credas, nescias:
Et quae tibi puraris prima, in experiundo repudies.

Hunc ergo Theologum tantopere laudatum, tanto studio et desiderio ab omnibus eruditis expetitum, dignissimum iudicavi, in quo latissime diuulgando omnis Chalcographia nostra strenuo desudaret; eumque laborem meis interpositis impensis, optimo et Catholico viro BALTHASARI LIPPIO, quem Reuerendis. et Illustris. Celf. V. nuper pro insigni sua humanitate et beneuolentia ciuitate Moguntina benigne donauit, delegandum existimaui; tum quod minime ambigerem, eum praclarum hunc thesaurum integrum, et ab omnibus mendis, quibus ante scatebat, emaculatum, formulis suis politissimis foras daturum: tum ut his typographia sua primitijs, hoc tanti operis quasi progymnasmatem, R^{ma}. et Ill^{ma}. Celf. V. atque etiam Reuerendis et Nobilibus Metropolitanæ Ecclesiae tuae Summatibus, quorum beneuolentiam non exiguam haec tenus quoque expertus est, ac denique uniuersa Academiae Moguntinae, industriam suam amplius probaret: et uero Urbi etiam ipsi decus aliquod et ornamentum afferret, quae iam olim aeternam laudem omnium Scriptorum monumentis consignatam ab inuenta et excogitata primum arte typographica promeruisse. Quare nec mihi aliis, praeter Illustris. Celf. V. occurrere potuit, uel debuit Patronus aut Mecenas, cuius clarissimo nomini hoc illustre opus inscriberem et dedicarem: nec enim conueniebat, nouum hunc Chalcographicum partum in tua metropoli, tuis auspicijs editum, alio quam tuo, hoc est, quam summi ditionis Moguntinae Principis, titulo, fauore, tutela et patrocinio lectum, lucem aspicere et in manus hominum venire. Quod institutum meum, cum non dubitem R^{ma}. et Ill^{ma}. Celf. V. fore gratissimum, non superest aliud, quam ut me ipsum imprimis, deinde etiam dictum BALTHASAREM LIPPIVM Moguntinum iam Typographum, etiam atque etiam Ill^{ma}. Celf. T. commendem, DEVMQUE OPT. MAX. ex animo precer, ut Reuerendam et Illustrissimam Celf. V. toti Imperio, Ecclesiae suae, et nobis omnibus quam diutissime saluum incolumemque tueatur et conseruet. COLONIAE Agrippinae, KALEND. Ianuarij, à partu Virginis c^{lo}. l^o. ic.

R^{ma}. & Ill^{ma}. Celf. V.

Obsequentissimus

Arnoldus Mylius.

TOTIVS